

† Pl. R. P. Iosephus Schrijvers, C. G. (1876-1945) ¹

(Prov. Belg.)

Clarissimum est nomen huius columnae Instituti, non solum inter Nostros, sed in universo orbe catholico propter eius opera praeclara et magis diffusa quam ullius scriptoris nostri.

Ortum nactus est Iosephus Schrijvers in sinu optimae familiae in pago Limburgi Belgici, cui nomen *Zutendaal* (vallis dulcis), d. 19 Dec. 1876. Situs est pagus in regione partim inculta et cooperta erica aliisque terrae aridae plantis, quae belgice audit *Kempen* seu *Campine* et apprime ad animi solitudinem et mysticismum accommodata est.

Studia humanitatis egregie absolvit in civitate Hasselt, in collegio episcopali S. Ioseph, condiscipulum, semper suae classis primum, habens hodiernum Praesulem dioecesis Leodien. Excēnum Ludovicum Kerkhofs. Ex illa regione etiam S. Ioannes Berchmans ortum duxit, cui confrater noster valde similis est ob suam tenerrimam Matris Dei dilectionem. Deipara autem, quae diligentes se diligit ², Iosepho nostro, tunc annos nato 18, in illa solitudine *Kempen* quondam dixit (quomodo, nescimus) eum post mortem recta via in Paradisum iturum, dummodo in vita omnem inordinatum in res creatas affectum ex corde expulisset. Ita ipse confessus est suo contribuli Fr. Vincentio Hendriks et Sor. M. Franciscæ, moniali monasterii Pulchriprati O. SS. R.

Adulescentulus 18 annorum, a mundi corruptela immunis, ingressus est in nostrum novitiatum Trudonopolitanum ibique 6 Oct. 1895 vota perpetua emisit. (Mortem igitur obiit paulo ante iubilaum aureum professionis!) Secuti sunt sex anni studentatus in solitudine silvestri Pulchriugi, ubi 2 Oct. 1900 sacerdotio auctus est.

Finitis studiis in studiorum altiorum sede remansit, primum Lector philosophiae, postea (1907), Praefectus clericorum. Hac periodo publici iuris fecit nonnulla opera et opuscula scientifica, quorum principaliora sunt: *Manuel d'Economie politique* (1907) et *Les principes de la vie spirituelle* (1912). Quamvis minime bono eventu caruerint — consecuta quippe sunt plures editiones et in extera idiomata translationes — tamen inde ab a. 1913 P. Schrijvers (P. S.) hanc suam peculiarem missionem esse credidit: diffundere inter omnes bonae voluntatis animas suam vitae spiritualis methodum simplicem, fundatam potius in fiducia et amore quam

¹ Bonam Patris Schrijvers effigiem ex a. 1938 vide *Analecta* XVIII (1939), 75.

² Cf. *Prov.* 8, 17, quae verba leguntur in Off. B. M. V. in lect. 1.

in timore et incessanti propriarum actionum examine et corporis afflictationibus. Omnes iam novimus eius libros inscriptos *La bonne volonté* (1913), *Le don de soi* (1918), *Le divin Ami* (1922), *Ma Mère* (1925), *Les âmes confiantes* (1930), *Message de Jésus à son prêtre* (1932), *Jésus parmi nous* (1940), *Notre Père qui êtes aux cieux* (1942).

Minus nota sunt, ut patet, duo eius opera linguae ucrainicae de duplici, quo eius cor ardebat, amore, scil. erga Iesum et Mariam¹. Ucraina enim, seu, ut tunc dicebatur, Galicia a. 1913, ergo paulo ante primum bellum mundiale, quasi altera huius magnanimi Religiosi patria evaserat et talis remansit usque ad a. 1933, cum in Belgium revocatur ad magnam Provinciam matricem regendam. Qui nunc denuo legerit articulum nostrum paulo ante alterum bellum mundiale de argenteo Vice-Provinciae Leopolitanae iubilaeo publicatum², ubi etiam singularia Patris S. merita digne efferuntur, et qui dein consideraverit praesentem huius Vice-Provinciae tristissimam condicionem, non potest non affici profundo moerore. Etiam P. S., videns operis sui dilecti ruinas, amare flebat et quondam praesente Fr. Vincentio exclamavit: « O miserum populum Ucrainum! O miseram Galiciam! Est mysterium quoddam! » Addidit autem, afflatus, ut speramus, spiritu prophetico: « Dominus postea omnia instaurabit, et Patribus nostris tunc permagnus aperietur campus missionalis, quandoquidem lingua ucrainica et lingua russica sunt valde affines ».

Inter Ucrainos P. S. non erat solum Visitator seu Vice-Provincialis noster, sed etiam Visitator Apostolicus duorum Institutum Sororum, quorum Regulam exaravit et quae quadamtenus eum ut suum Fundatorem venerantur. Unum est Institutum Ancillarum Virginis Immaculae, quae etiam Romae in Pont. Collegio S. Iosaphat laborant; post obitum Patris venerunt nonnullos eius capillos efflagitatum, missurae has « reliquias » ad domum matricem Galiciae, et dixerunt: « Erat nobis vere pater bonitatis plenus et in eo ipsius Christi Domini effigiem admirabamur. Erat vir vere sanctus, cuius integra vita posteritati narranda est »³. Romae accurata Patris S. de rebus ucrainis scientia magni aestimabatur et a Summo Pontifice Pio XI et a S. C. pro Ecclesia Orientali; quare a. 1932 nominatus est Visitator Apostolicus omnium Religiosarum ritus orientalis in Ucraina, Canada, Statibus Foederatis USA, Brasilia.

Verum non modo Sorores, sed omnes Ucraini catholici plurimum venerabantur, admirabantur amabantque Patrem S., a Metropolita Andrea Sceptycki, eius amico intimo, et nostro confratre Exc^{mo} Nicolao Czarneckyj ad ultimum fidelem. Quidam monachus Basilianus eum post obitum ap-

¹ Vide in Bibl. Patris De Meulemeester II, p. 393, nn. 12 et 14.

² *Analecta* XVIII (1939), 75-78.

³ Huic negotio iam adlaborat R. P. Iosephus Boon.

pellavit « pretiosum donum a caelo Ecclesiae Ucrainae datum, virum apostolicum, qui ex Occidente quidem proveniebat, sed Orientalis Ecclesiae indolem plane comprehendebat, dilectum ab omnibus Ucrainis, et cuius memoriam nulla unquam oblivio oblitteratura sit ». Et quam luculenter hi boni Ucraini gratum suum animum erga Patrem S. manifestarunt, sive in ultima infirmitate, saepius eum invisentes, sive post mortem, mortui manus beneficas osculis cooperientes! Et d. 7 Mart. 1945, Missa exsequiali atque Absolutione ad feretrum a Rm̃o P. Generali Murray, assistentibus PP. Damen, Manders, Butturini, finita, Exc̃m̃s Episcopus Ucrainus Ioannes Bučko et Rector ac Vice-Rector Collegii S. Iosaphat ad altare maius, coram Imagine byzantina Perpetui Succursus, « concelebrarunt » suo ritu, assistentibus alumnis illius Collegii, et postea ad feretrum longam Absolutionem cantarunt. Haec ultima caerimonia exinde quotannis in pervigilio Commemorationis omnium Defunctorum ad sepulcrum nostrum in Campo Verano repetitur, cum magna admiratione et aedificatione multitudinis kal. Novembribus caemeterium opplentis.

P. S. qua Superior Provinciae Belgicae suum triennium, adversa valetudine impeditus, non finivit, sed loco eius hoc grave munus suscepit P. Camillus Van de Steene. Ipse Capitulo tamen generali a. 1936 interfuit qua Vocalis Vice-Provinciarum Belgicarum, et paenultimo huius Capituli die, 24 Maii, cum Consultor Generalis P. Ter Haar, iam fere octogenarius, munere se abdicasset, ei a Curia suffectus est P. S., tum sexagenarius, sed habitu et aspectu potius septuagenarius.

Sic P. S. novem ultimos suae peregrinationis terrestres annos in domo generalitia transegit, verus « Cartusianus », immo plus quam Cartusianus; hi enim singulis septimanis bini semel deambulatum exeunt, dum P. S. his annis nunquam deambulatum exire visus est, nunquam deambulans in solario et rarissime in parvo horto. Attamen sat probabiliter sic acceleravit illam apoplexiam, quae eum 18 Febr. 1945 mane tetigit et tandem 4 Martii h. 6,30 pomeridiana ad mortem perduxit, praesertim cum eius organismus, ad obesitatem proclivis, nunquam in tota vita per « sport » exercitatum esset. Hac in re igitur Summus Pontifex gloriose regnans aliter sentit ac defunctus confrater. Idem praeterea haud raro, frigore tactus et exinde quasi surdus et aphonus, ne ad recreationem quidem communem veniebat, verus Cartusianus. Semper tamen in choro ecclesiae videbatur h. 8.15, ut Missae novae interesset. In cella, si non quieti necessariae indulgebat, aut orabat aut occupabatur aliqua utili opera, praesertim exarando aliquo novo libro.

Fr. Vincentius, post actus pomeridianos eius cubiculum intrans, multoties ultimo vitae tempore eum reperiēbat vultu inflammato et lacrimis madido. Harum lacrimarum causa, ita ipse confitebatur, erat memoria amarae Passionis Domini et compassionis Deiparae et ingratitude ho-

minum. Verebatur Fr. Vincentius solum nominare Beatissimam Virginem, ne tenerum eius fletum provocaret. Confitebatur quoque P. S. se cotidie ab h. 2 ad h. 4 pom. dolores particulares experiri.

Iam diu in Patre S. sanguinis pressio erat nimis alta, usque ad 260 vel 280. Die 3 Febr. 1945 nova bronchiti et feбри correptus est. Ulteriore morbi cursum et ipsam mortem dilecti confratris Rm̄us P. Generalis narrat in sua Circulari n. 134 ¹.

Si quis Nostrum, praesertim extraneus, Romae moritur ad S. Alfonsi, pauci ad Missam funebrem venire solent. Aliter accidit in morte Patris S., et alii quidem accurerunt, quia erat Belga, nempe Excm̄us Adrianus Nieuwenhuys, tunc temporis suum Gubernium penes S. Sedem repraesentans ², cum uxore et filio et tribus aliis officialibus suae Legationis; Abbas Gen. Praemonstratensium Hubertus Noots; Minister Gen. O. F. M. Cap. P. Donatus van Welle cum cl. suis confratribus P. Fredegando Callaey, P. Gratiano De Schepper, P. Amedeo Teetaert; Rector Collegii Belgici Oscar Joliet, Rector Coll. Graeci P. Bened. Odilo Golenvaux O. S. B. cum socio, Proc. Gen. Missionarium a Scheut P. Ios. Nevejan; tres Iesuitae Belgae: PP. Creusen, Raes, Wuyts; tres Franciscals: PP. Janne, P. Neyer, Smeets. Alii venerunt propter apostolatam a defuncto tamdiu inter fideles ritus orientalis exercitatum. Praeter iam nominatos oportet commemorare Rectorem Pont. Institutii Orientalis P. Aemil. Herman S. I. Alii denique honorare voluerunt sanctum Religiosum et clarissimum scriptorem, ut Sup. Gen. Missionariorum Sacr. Cord. P. Christianus Janssen, Vic. Gen. Sacerdotum Cord. I. P. Petrus Hauer, Pater Spir. Pont. Coll. de Prop. Fide Isidorus Pagani, Proc. Gen. Missionum Ext. Parisien. Raym. Michotte, Def. Gen. Trappistarum P. Steph. Klein, Cons. Gen. S. D. S. P. Fulgentius Moonen.

Nos Redemptoristae vivam Redemptoris imaginem in nobis exprimere debemus, alius quidem sic, alius autem sic. P. S. Christi vitam publicam, ut missionarii nostri, exprimere nequivit; nec Christi humiliationes in eo, semper in quodam honoris gradu posito, eminent. Quodsi unus alterve censor in eius libris asceticis quietismi vestigia deprehendebat, centum alii eosdem libros ad astra tollebant. Admittendum nihilominus est cl. scriptorem nostrum in ascetica et mystica quemdam « simplicitatem » profiteri, volens animas quasi absque via purgativa et illuminativa statim in via unitiva collocare; nec « novissima », ac multo minus ieiunium et mortificatio externa ab eo sic tractantur et commendantur, ut a S. P. N. Alfonso et a Sanctis Patribus. Scripta eius multo frequentius amorem Dei commendant quam amorem proximi, dum in S. Scriptura (v. g. I Cor. 13) oppositum obtinet.

P. S. erat πολύγλωττος. Lingua eius materna erat flandrica, sed vel melius possidebat gallicam, in qua fere omnia sua opera scripsit. Praeterea callebat ucrainicam, polonicam, germanicam, anglicam, italicam et, ut patet, latinam.

¹ *Analecta* XIX, fasc. 4, p. 165 s.

² Addere placet hunc illustrem virum bis aegrotantem Patrem visitasse et altero quoque die ei misisse recens lac, quod eo tempore vix aliter haberi poterat.

Iam in studentatu, teste P. Bullen, lento ac dignitatis pleno gressu incedebat. Tota eius figura exterior erat quasi modestia et tranquillitas personificata. Multi, qui eum prius unice ex eius libris cognoverant, videntes dein eius faciem quasi mongolicam, mirabantur; siquidem sibi fixerant hominem valde diversum. Haec autem facies eius post mortem acquisivit pulchritudinem singularem. Veram autem indolem animae eius fortasse nullibi melius videre est quam in certis notulis intimis (*Notes intimes*), quas exeunte a. 1943 Fr. Vincentio custodiendas dedit, et quas P. Iosephus Boon postea, introductione ditatas, publici iuris fecit, tum in textu gallico originali sub titulo *Le Festin Eternel* (1947), tum in versione flandrica *Het Eeuwige Festijn* (1946). Ibi defunctus confrater apparet, ut revera erat: valde pius et amore Iesu ac Mariae flagrans, simplex ut parvulus, ita ut a. 1926, quinquagenarius, orare potuerit: « Mon petit Jésus, ... ne me regardez qu'à travers vos petits doigts » (p. 58)! tandem valde « sentimental » et in suo orandi modo a sobria prece liturgica mille milliariis distans. Hic tamen latius de hoc argumento disserendi locus non est¹.

Pientissimus P. S. in suae cellae sanctuario centies milliesque Crucifixi Domini ac Matris perpetuo succurrentis effigies tenerrimo affectu osculabatur et cum iis conversabatur pariter ac cum personis vivis praesentibus. Nihilominus sentiebat exilii amaritudinem, ita ut ingens patriae caelestis desiderium eum devoraret. Ultimo festo Purificationis dixit Fr. Vincentio: « Aegre mihi fingere possum, quid sit illud in aeternum esse cum Matre Maria eamque coram intueri », et in proferendis ultimis verbis vox eius tremula intimam animi commotionem prodebat. Sine dubio iamdiu ardens eius desiderium impletum est; nam sicut sancte in sinu Congregationis vixit, ita in sanctitatis fama mortuus est. Intercedat nunc, sicut ante obitum promisit, apud Iesum et Mariam pro dilecta sua familia religiosa.

¹ Vide in *La Voie du Rédempteur* 54 (1947-48), p. 46-51 articulum R. P. MAUR. DE MEULEMEESTER *In Memoriam. Le R. P. Jos. Schrijvers C. SS. R.*, qui articulus etiam apparuit in periodico florentino O. P. *Vita Cristiana*, XVI (1947), 54-63 sub titulo: *Un grande scrittore ascetico dei nostri tempi: il P. Giuseppe Schrijvers, C. SS. R.* Auctor, facto computo, existimat in praesenti minimum (!) 600 000 (!) exemplarium librorum Patris S. circumferri. Vide etiam quae scite de scriptore P. S. iudicat R. P. R. TELLERIA in *El Perpetuo Socorro* 46 (1945), p. 512-515 et 47 (1946), p. 20-22. P. S. ipse in III^a suarum Notarum intimarum (12-XI-1919), loquens cum Iesu, dicit: « Je ne me laisserai pas tromper par mon amour. propre qui répugne à écrire des choses communes, sans appareil scientifique, sans rigueur logique. Vous me dites que c'est mieux ainsi: langage simple, langage du coeur, pas d'érudition ni de science humaine » (*Le Festin Eternel*, p. 29).